DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO


ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM XIV.

PONT. MAX.



A

JOANNE BAPTISTA NICOLAI

EX MARCHIONIBUS CANNETI,

Collegii Clementini Convictore.



ROMÆ, Typis Bernabò, & Lazzarini, MDCCXLIX.

SUPERIORUM PERMISSU.

Sanctissimo Domino Nostro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

JOANNES BAPTISTA NICOLAI

FELICITATEM.



NIHIL *profecto opta-bilius mihi evenire potuit*, BEATISSIME PATER *gratissimam erga Te animi, meique obse-*


obsequii significationem daturo, quam ut Orationem hanc ob argumenti magnitudinem Te dignam, coram Amplissimis Cardinalibus habitam de Augustissimo TRINITATIS *Mysterio tibi inscriberem, tuisque Sanctissimis pedibus sisterem. Cum enim suasor non solum mihi, verum etiam eximia humanitate Auctor extiteris & ad suscipiendam, & ad ingrediendam rationem studiorum in hoc ipso Collegio, quod jam ab ineunte ætate decorasti, cur non hoc, & si exiguitate minimum, tamen ad gratiam habendam pro tanto, ac tam singulari beneficio debitum Tibi munus offer-*

fer-

ferrem? Quod quidem etiam ad Te pertinere recensui tum propter quam maximam illam, qua polles, auctoritatem, tum propter sacrarum rerum scientiam, qua omnes Te absolutissime instructum demirantur. Cum enim Deum Unum esse in Essentia, & Trinum in Personis caput sit, ac fundamentum Catholicæ Fidei, nulli magis convenire videtur quidquid caste, & integre de tam ineffabili Mysterio dicitur, quam Religionis Custodi, ac Divini Consilii Interpetri Sapientissimo. Quod si incredibilem tuam Sapientiam, cujus uberrimos fructus toti Christianæ Reipublicæ cumulatissime clar-

elargiris, laudibus proſequi velim, dies me deficiet, & Oratio: nec res eſt ingenii mei, cum eniteat ipſa per ſe, atque in oculis univerſorum poſita nullius Oratione ornari, aut clareſcere poſcit. Rogabo potius, ut Orationem hanc meam eo, quo tibi offertur, animo accipias, deinde ut me ad pedum tuorum oſcula proſtratum Apoſtolica Benedictione digneris.

ORA-



ORATIO.



UM de ineffabili TRINITATIS Myſterio, BEATISSIME PATER, in hoc Orbis Terrarum Auguſtiſſimo Confeſſu facultas dicendi mihi demandata ſit, illud idem contigiſſe video, quod Apoſtolis in vertice Tabor evenit, quemadmodum ſacrarum literarum monumenta teſtantur. Lux nimirum cœleſtis undequaque circumfuſa tanto luminis fulgore perculit illos, ut levantes oculos ſuos neminem viderent, vocemque tantummodo è lucida nube delapſam audirent. Ita profecto trium Perſonarum una, eademque Di-

Matth.17.5.

vina

1. ad Timoth. 6. Psal. 103. vina Natura, cui pro domicilio splendor est inaccessus, pro amictu circumfusum lumen, adeo humanæ mentis aciem perstringit, ut immensa obrutus luce animus caliget, & Prov. 25. 27. scrutator majestatis opprimatur a gloria. Lib. Moral. Cap. 7. Quomodo igitur, ait Gregorius Magnus, valebit lingua dicere, quod non sufficit mens nostra sentire? Tamen, cum multa sint, quæ nobis ob imbecillitatem animi obscurissima, cum a nemine viribus ingenii cognosci possent, Deus ipse de se hominum generi patefecit, TRINITATIS Arcanum non alia potiori ratione assequi posse existimaverim, quam si ea dixero, quæ nec terrena sapientia reperit, nec opinio humana persuasit, Leo PP. Ser. 3. de Pentec. sed ipse Unigenitus Filius edocuit, ipse Spiritus Sanctus instituit.

D. Th. 1. part. quæst. 12. artic. 12. & qu. 32. artic. 1. Humanæ mentes, quia Deum ipsum intueri nequeunt, ex hac tam admirabili Terrarum Orbis mole, ordine, & gubernatione notitiam aliquam studiose sibi quærunt, eaque solum assidua cura, & diuturna commentatione assequuntur, quæ Creatorem, & Originem rerum illum esse declarant. Sed si quæ pertinent ad Naturam Divinam omnia, & communia sunt omnibus Personis inter ipsas, quamvis multi Deum unum esse

co-

cognoverunt , quis tamen unquam hac usitata , & trita via potuit ad unamquamque Hypostasim sua proprietate distinguendam , & omnes inter se Naturæ communitate jungendas pervenire ? Sunt plane hac rerum Universitate quædam vestigia , sunt notæ quædam , & umbræ , quæ nonnullam , etsi levem , TRINITATIS cognitionem præseferant. *August. lib. 6. de Trinit.* Est animus hominis ad imaginem conditus , similitudinemque Divinam, qui mente, voluntate , & memoria altissimum adumbret Mysterium . *Idem lib. 8. de Civ. Dei ca. 6.* Est Sol hic splendidissimus , qui natura , lumine , & calore aliquam , licet obscurissimam, hujus rei significationem exhibere videatur . *Athan. in resp. ad qu. 4.* Sed quis mortalium iis vestigiis ad cognoscendam TRINITATEM hæc animadvertit , quousque Orbis Servator , & Conditor , re explicata , in admirabile lumen suum nos evocavit , *1. Petr. 2.* ut ejus rei , cujus cognitionem homines Divino beneficio fuerant adepti , exemplum postea aliquod in hac rerum Universitate conquirerent . Per illum remoto velamine , in Sancta Sanctorum humanæ mentis acies penetravit . *Paul. ad Heb. 9.* Per illum nobis facultas data est , ut quod ipse docuit , jam audeamus explicare , non modo Deum, & unicum Deum , sed tres

simul

..th. quæst. ad ..ntioc. ſimul in Unitate Naturæ Perſonas agnoſcendo ; Patrem quidem ad Jordanem deſuper teſtantem , *hic eſt Filius meus dilectus* : Filium, qui ſalutari abluitur unda , Spiritum autem Columbæ ſpecie ſeſe oſtendentem : Patrem inquam , qui in illa immutabili æternitate ſeipſum perfecte intelligens parem, & æqualem ſibi generat Filium , qui cum ſit ſplendor gloriæ , & figura ſubſtantiæ ejus teſtimonium perhibet de ſe , *Ego , & Pater unum ſumus* : *Pater in me eſt , & ego in Patre* . Quare cum hæc ab eo ipſo revelata acceperimus, ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus ; & inſuper Spiritus teſtificatur , quoniam Chriſtus eſt veritas ; Spiritus ille quidem Paraclitus qui ex infinita illa dilectione , qua ſe Pater , & Filius proſequuntur , procedens , verus Deus , & ejuſdem, ac Pater , & Filius, Naturæ . Quid reliquum eſt, niſi ut ſimpliciſſimam illam TRINITATIS Unitatem , quam docuit Chriſtus , quam uſque ad terminos Orbis Terrarum prædicarunt Apoſtoli , confirmarunt Concilia, & Eccleſia divinitus edocta explicavit , hodieque adorandam proponit , ſupplicibus nunc animis veneremur , niſi ut ejuſdem Eccleſiæ Matris veſtigia ſequamur , quæ cum dignam hoc tanto Myſte-

Paul. 1. ad Heb. 3.

Joan. 10.

Joan. Epiſt. cap. 5.

Pſal. 71.